Dominus Eneas ad Tuschkonem prothonotarium Pragensem

Domino Johanni Tuschkoni amico plurimo Eneas Silvius salutem plurimam dicit. Dedi ad te nuper litteras crassasque de Biblia vetusta quam michi misisti, argentum nobili equiti pro precio necnon numeravi. Sed audio ad te neque quod tibi scripsi neque quod magistro Johanni Schindel philosopho et astronomo nostri temporis prestantissimo epistolam obsignatam in Bohemiam premiseram. Incidit enim in latrones tabellarius ac non solum auro sed etiam litteris expoliatus est. Perdant superi hoc genus latronum, qui non tantum sibi lucri querunt, sed aliis quoque incommodant absque suo emolumento. Hi sunt qui mercatores belli delere in locum prohibent. Hi caristiam faciunt. Hi bella suscitant. Hi federa humane societatis obrumpunt. Nec ullum sinunt inter provincias ac provincias esse commercium, quod si tuta essent itinera, nec mare piratis, nec silvae campique latronibus infestarentur, frequens in Alamania Italus et in Italiam Alamanus proficisceretur. Nec in oriente res ulla esset humane vite necessaria que non transiret in occidentem. Nec eursus mercimonia sua negaret eo ab occidentales. Fieretque unum totius orbis corpus, dulceque ac delectabile foret inter illas regiones unam ac istam vivere. Nempe si tutior ad vos fuisset accessus, iam dudum ego Bohemiam petivissem, famosamque illam totius Germanie principem urbem Pragam, templa, domos, arces, pontes, universitatem et homines, virtutisque tuae contemplatus fuissem. Sed horrenda latronum iniquitas nedum michi, sed meis etiam litteris precludit aditum nec ad Tuschkonem

Eneas de biblia vetusta quam michi misisti

de preda tabellarii spolio et latronibus

Ubi quis expectat se dente tela itinera petitur(?)

de famosa civitate